



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 44. de imitatione SS.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLIV.

De sexto medio Meditationem atque affectus ejus ampliandi, sive de Imitatione Sanctorum.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, ut supra.

PVNCTVM I. Considera Dominum præter luminaria duo magna in hoc mundo plurimas insuper stellas, ut nobis per noctem lucent, dedisse: similiter præter Christum & B. Virginem, Sanctos in Ecclesiâ, qui viæ nostræ comites & duces se præberent ad cælestem Ierusalem. Vide an sequaris, & attende, quomodo hi plurima patiendo, & humilitate & constantiâ ac fortitudine in pravis inclinationibus superandis, pervenerint ad illam præstantem virtutem. Tu verò quomodo ad eam contendis? Secundò, quâ gloriâ Deum affecerint, exemplo suo provocando innumeros ad Christum eisque consilia sequenda; lucentes, ut Apostolus loquitur, velut lucernæ in caliginoso hujus mundi loco. Percurre eorum maximè Patronorum N. tuorum, insignes victorias, etsi arduas, quas de se, abnegando honores, & carnis voluptates atque desideria reportarunt. Lapidati sunt, ait Apostolus, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ: & hæc omnia, ut testimonio fidei probati in venirentur, & virtutem consequerentur. Et sanè meritò, cum enim virtus ita præstans sit, quid mirum, si, quantum in perituris opibus mortales defudant, tantum in sempiternis viri boni ponant studii ac laboris?

Aspira, ut sup. p. 8. Hæcine firmâ, ibid.

PVNCTVM II. Considera Sanctos, ut Apostolos loquitur, similes nobis fuisse. Elias, ait, erat homo similis nobis,

*Genes. 1.
Sancti velut
stellæ,*

2. Pet. 1.

Hebr. 11.

*Labor SS. in
virtute.*

Iacob. 5.

nobis, passibilis. Ex eadem certè massâ, iisdem corporis & animi miseris ex humanæ naturæ lege erant obnoxii; & vide, ut multi ex iis primò magni fuerint peccatores, Matthæi, Sauli, Magdalenæ; qualesque per gratiam deinde evaserint coram Domino. & cognoscit unusquisque, qualis sit homo per naturam, & rursum qualis ac quantus per gratiam esse queat. Tu qualis fuisti, qualis nunc es, & qualem te futurum speras, sic agendo ut agis. Nec solùm attende ad peccata, quæ ante conversionem, sed etiam, quæ post eam aliqui Sanctorum perpetrârunt, ut Moyses, David, Petrus; atque hinc etiam tuam miseriam divinamque misericordiam collige. Progredere deinde; & inspicere quàm magni coram Domino facti sint, quàm fideles, fortes, patientes, humiles, Dei amantes: & tuam virtutem exiguum & debilem cum eorum virtute confer. Ostende, inquit Deus Ezechiel, domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Quod verò hoc est templum, nisi, ut interpretatur S. Gregorius, vita Sanctorum, quos Dominus nobis statuit in exemplum, qui verè mirabilis in Sanctis suis? Ante omnes autem Sanctos Beatissimam Virginem MARIAM, ut prototypum omnis sanctitatis ac pietatis ob oculos pone. Illa est enim mulier amicta sole Justitiæ, in quâ posuit Deus tabernaculum suum, quia, ut S. Thom. contemplando perfectiones solis, anima ad divinas perfectiones ascendere potest: similiter contemplando perfectiones MARIÆ, ejusque heroicas virtutes, perveniet ad mirabilem Dei cognitionem. Statue igitur illam patronam sedulo colere, & imitari; præsertim humilitatem & charitatem ejus, &c. Secundò, adverte eos non ita divinam gratiam præventos fuisse, ut nullo negotio ad virtutem pervenerint: multis enim vigiliis, austeritatibus, & oratione quasi perpetua à divinâ liberalitate dona impetrârunt: & quàm indignum confidere eâ nos

*Sanctorum
pœnitentiæ
& fervor.*

*Ezech. 43.
Templum
Salomonis
typus perfecti-
onis.
Greg. lib. 24.
Mor. cap. 12.*

*Apoc. 12.
Thomas.
B. Virgo ante
omnes
imitanda.*

*Sanctorum
labor & in-
dustria.*

nos

*Bonav. in
Medit. de
vitâ Christi.*

nos obuenturos, otiosè agendo, & remissè, aut certè perparum, si cum illis nos comparemus. Beatam Virginem sic D. Bonavent. loquentem cuidam facit: Pro firmo scias, quòd ita me reputabam ream, & vilissimam & gratiâ Dei indignam, sicut tu; propterea petebam sic gratiam, & virtutes. Filia, tu credis, quòd omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore: sed nò est ita. Imò dico tibi, quòd nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continuâ oratione, ardenti desiderio, profundâ devotione, multis lacrymis, & multâ afflictione, dicendo, cogitando semper placita sibi. Pro firmo scias, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem, & corporis afflictionem. Tertiò, considera quàm solliciti fuerint, etiam in minimis virtutum præsiidiis studiosè conquirendis & observandis. hinc alii perpetuo ferè decreto linguam coërcebant, illi oculos, hi manus: siquidem qui contemnit modica, paulatim decidet: & plus sæpè periculi ob tepiditatem in parvis, quàm gravibus peccatis.

*Sancti etiam
minima ob-
servant.
Eccli. 19.*

Hæcine vera, ut supra p. 7. vel O Salvator, ut inf. p. 605.

*Matth. 10.
Perseveran-
tia Sancto-
rum.*

PUNCTVM III. Considera Primò, quantâ perseverantiâ, ab infantiâ primâ usque ad mortem Sancti in virtutum cursu processerint: solus enim, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Attende verò tuam inconstantiam, & detestare. Secundò, quomodo perseverantiam consecuti fuerint, nempe utentes Dei gratiâ, & talenta ejus non otiosa relinquentes, incrementum gratiæ quotidie impetrârunt; atque ita semita eorum sicut lux splendens crevit usq; ad perfectam diem.

Prover. 14.

*Consuetudo
bona quanti-
fit.*

Hanc spera etiam à Domino, & æmulare charismata meliora. Considera Tertiò, ut egregiâ fortitudine virtutis ardua penetrârint, & omnia impedimenta superârint, parentes, opes, liberos, habitus pravos, & in brevi expleverint tempora multa. Optimam & tu rationè vitæ delige, jucundam omninò faciet consuetudo; idque diligenter expende. Accede verò ad Deū Patrem, ei que

ei que offer laudes totius curiæ cælestis, & Sanctorum labores pro illius amore toleratos, in primis ardentissimam charitatem Deiparæ matris, in quâ sibi ab æterno complacuit: & obsecra per hæc ut tibi & aliis obtineas gratiam ad imitationem necessariam; invoca eorum intercessionem, qui vehementer tuam non solum optant salutem, verum etiam excellentiorem longè sanctitatem. Gratias age Deo pro illorum gloriâ, & de eâ illis toto animo gratulare, & singulos ordines Sanctorum percurrere.

Gratulan-
dū Sanctis.

Exercitium brevius.

O Via, & vita nostra, Christe IESV, credo tibi, & in te spero, & te toto corde diligo. Utinam te sequar, sicut Sancti in hoc & illo N. si potuerunt hi, potuerunt per te solum, non enim sumus sufficientes facere aliquid ex nobis. Sed & sufficientia mea ex te est, & in te est paratum auxilium meum. Confundor & erubescō ad fervorem eorum, & teporem meum, ad constantiam eorum & instabilitatem meam. Et statuo firmiter in conspectu tuo, non tantum quæ mandas, sed quæ consulis, & inspiras gratiâ tuâ sequi, ut honorem te, & homines videntes opera mea bona glorificent te, & benedicat tibi anima mea, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto tuo. Amen.

Exercitium longius.

O Salvator mundi, tu quidem es via, veritas & vita, & dux noster in hæc nostrâ ad eternitatem, quæ numquam iterari poterit, peregrinatione: verumtamen etiam Sanctos tuos mihi duces & comites in illâ dedisti. Obsecro ergo te per viscera misericordie tuæ, ut mihi gratiam dones, quâ eos strenuè sequi valeam: Sic N. in verâ humilitate, charitate, ceterisq; virtutibus, quas à me exigit sanctissima voluntas tua, & vocatio mea. Erubescō, Domine IESV, quod ita præclara exēpla hæctenus neglexerim, & sanctissimas inspirationes tuas, non me trahere debuerat in odorem unguentorum tuorum? O Domine IESV, olim Discipulis multis abeuntibus retrò, ab Apostolis tuis petisti: vultis &

Ioan. 14.

Confusio
sui.

Applicatio ad s. Communionē. vos abire? At illi: Domine, quod ibimus? verba vite aeternae habes. Quid ergo me facere oporteret & dicere, qui jam dedisti mihi toties corpus & sanguinem tuum, ut sequerer te, ut adhererem tibi? Et quid me separare potest à charitate tuâ? Ecce enim verè video nihil esse omnia, nec tantum sunt vanitas, sed vanitas vanitatum. eheu! hoccine me à virtutis semitâ, à te viâ & vita mea deviare cogit? cum mihi facem praferant, tot tamq̃ illustres non huius mundi, sed Spiritu tuo sancto afflata anima, & tam fortis sit tua, JESV bone, dilectio, & dura sicut infernus amulatio.

O utinam nunc me, qui cum Sanctis tuis aeternim regnare vehementer desidero, & te laudare, ad momentum fortiter cum illis sic sese vincantibus, N. pugnare delectet? Quid si enim ignavus fuero, quàm turpe mihi erit cum Sanctis tuis gloriosis athletis comparere coram te, Rex meus & Deus meus, quando illi magnas victorias suas tibi cum exultatione enarrabunt, quas gratiâ tuâ reportârunt? Ibi Beatissima mater tua, facta ancilla Elizabethæ & Iosepho obediens, omniumq̃ se minimam agnoscit, magnificabit animâ suâ, te Domine, quod eam super omnes choros extuleris, quia infra omnes se collocavit: & confundentur filii Adæ, quos scientia inflat, potentia effert, divitiæ turgidos faciunt. imò & iis pietas, nescio quæ animos addit; sed non à te, qui mitis es & humilis corde. Ibi Apostolici viri, qui hinc in paupertate, ærumnâ, in doloribus & pœnitentiâ asperâ vixerunt, exultabunt, & centuplo fruuntur, sedes duodecim occupabunt, quod omnia reliquerint, & te secuti fuerint, animasq̃ suas dederint pro te, confundentur verò conquistor huius sæculi & proprietarij Religiosi ac delicati.

Ibi Abraham ad nutum tuum obediens, & Religiosorum innumera turba, de amore trophaum per abnegationem statuent; & quia hinc propriam abnegarunt, ibi perperud suam facient voluntatem. At verò quomodo iis sese junget, qui tunc solùm obedire consuevit, cum sibi probatur, & flexit ad voluntatem suam Superiores suos; qui quo in vitâ spirituali provectior, eo in obedientiâ tardior; plusq̃ sibi vendicat propriae voluntatis, quo diutius infelicem illam plantam conatus fuit eradicare; difficilior obedir,

Lucæ 1.

Triumphus Sanctorum.
Matth. 11.

Matth. 19.

Tepidorū mores,

obedit, quo diutiùs didicit obedire? Denique castitatis lilia & stolas puras habebunt, & te sequentur Agnum agmina Virginum & Sanctorum, qui pepigerunt, sicut Iob, fœdus cum oculis suis, ut ne cogitarent quidem de virgine. O quam exultabunt in illa vita, qui in ista portas sensuum suorum diligentissimè custodiverint, & in virtutum solidarum ac perfectarum studium incubuerint! Desidero ergo, Domine Deus meus, sic deinceps vitam instituere, ut in conspectu Sanctorum tuorum & divinae maiestatis tue non confundar, neque cum loquendum mihi erit inimicis meis in porta, in exitu vite hujus. Confido certè ego pulvis & cinis in infinità bonitate tuâ fore, ut mihi gratiam tuam non deneges.

Iob. 31.

Da mihi ut possim virtutibus N. ornatus portare nomen tuum, & trahere ac convertere animas ad te, ut mecum in calo laudent & glorificent te, à quibus jam propter defectus meos & servorum tuorum blasphemaris. Verè enim dixit quidam servus tuus, Apostolos orbem convertisse, non quòd eos signa mirabiles facerent, sed pecuniarum contemptus, gloria despectus, ab omnibus hujus vite negotiis ereptio: quasi non habuissent, etsi mortuos suscitassent, non juvissent, sed etiam seductores existimati fuissent. Da mihi, benignissime Domine, horum vestigia sequi, minimos etiam defectus vitare, ne comedant alieni robur meum; da currere per semitam mandatorum tuorum, & non deficere. nemo etenim coronabitur cum Sanctis & electis tuis, nisi qui legitime certaverit: nemo ingredietur tecum, ò sponse animarum nostrarum, ad æternas nuptias, nisi qui constanter expectaverit adventum tuum. nam qui perseveraverit in finem, solus salvus erit, & manifestabis ei te ipsum, ac recumbere facies ad mensam tuam. & transiens ministrabis ei, & dabis ei te ipsum: hæc spes reposita est in sinu meo; quidquid enim tu non es præmium mihi leve est, neque enim cupio aliquid extrà te, nisi quantum possam propter te.

Affectus
zeli.Chrysostr.
hom. 46.
imperfect.
in Matth.

Osee 7.

1. Tim. 2.

Matth. 10.

O beatissima Virgo, exaudi, quaeso, preces, quas coram te hodie effundo, & humillimè peto, ut mihi, quem tibi cum Ioanne pro filio commendare dignatus est Dominus IESVS filius tuus, ornamenta virtutum omnium, contemptum rerum humana-

rum

rum munditiem cordis & corporis, humilitatem & charitatem, & tui amorem, mihi quem nosti indignissimo, sed tamen sic commendato tibi à filio tuo, impetres ab eo. Ille tibi nil negare potest, & tu mater misericordie, quid miseris poteris clientulis tuis quibus es porta vite, salutis anchora, & portus, & spes, & solatium & refugium?

O Beata mentes quibus jam aeterna ista obrigit felicitas, respicite ad me fratrem vestrum indignissimum adhuc peregrinatem in loco horroris & solitudinis, ut vos imitari possim & amare JESVM, & vobiscum eundem laudare aeternum.

O Angele Custos, qui in speculo lucidissima Deitatis vides pericula mea, & lapsus, & occasiones ejus: adesto, precor, supplicationibus meis, & dirige in viam bonam, ut non pigeat, non doleat tibi de cura mei, sed gaudeas in aeternum.

O Patroni mei NN. vestra tutelâ undique hostibus irruentibus vallate, ut non accedat ad me malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo meo. Angelis enim suis & vobis mandare dignatus est Dominus meus JESVS moriens & vivens, ut custodiatis me in omnibus viis meis. Venite igitur in subsidium, fortissimi Athleta, ut auxilio vestro ultionem videam ex inimicis meis, & vobiscum in aeternum laudem, & glorificem Dominum meum ac vestrum, Patrem meum, & Patrem vestrum JESVM in terrâ viventium, Amen.

Praxis pro cultu Sanctorum.

*Exempla
Sanctorum
poma odori-
fera.*

*Imitatio
Patroni.
1. Cor. 4.
Patroni
menstrui
cultus.*

*Cultus San-
ctorum per
hebdomadâ.*

PRIMA, Vitas Sanctorum diligenter evolve, atque insuper collige varia exempla virtutum: & illustre aliquod sapè mente pertracta accommodatum ad examen particulare. hoc enim efficax antidotum & remedium, ac velut odoriferum pontium quo vires animæ tuæ recreare valeas.

Secunda. Conare etiam alicujus sancti Patroni mores virtutesque in te effingere. ad hoc nos hortatur Apostolus Paulus dicens: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

Tertia. Patroni menstrui vitam lege diligenter, & eum imitatione alicujus virtutis honora, atque ad eam illius patrocini implora; omniumque Patronorum indiculum facias, ut in horâ mortis propitios habeas, & quos invocas, amicos.

Quarta. Sunt qui in dies singulos hebdomadâ Sanctorum choros dividunt, invocando Dominicâ die, Angelorum cho-

ros; Luna, S. Joannem Baptistam; Martis, Patriarchas & Prophetas; Mercurii, Apostolos; Iovis, Martyres; Veneris, Confessores; Sabbathi, Virgines. Sed ante omnia Regina caelorum, & princeps militiae illius sanctus Michael, cum Angelo Custode, saepe invocandi sunt.

Quinta, Laudabilis est etiam eorum exercitatio, qui per singulas diei horas, Sanctorum cultum distribuunt: & invocant; *Alius per diem.* horâ v. g. quartâ matutinâ SS. Trinitatem, ac petunt potentiarum animae reformationem; quintâ Christum passum, & petunt illius imitationem; sextâ B. Virginem rogant, pro animi puritate; septimâ Seraphim ardentes, pro charitate; octavâ Cherubim scientiâ plenos, pro Dei praesentiâ; nonâ Thronos, pro pace animi; decimâ Dominationes, pro passionum victoriâ; undecimâ Principatus, pro humilitate; duodecimâ Potestates, ut vincant in bono malum; primâ Virtutes, ut proximum efficaciter juvare possint; secundâ Archangelos, ut obedientiam impetrare; tertiâ Angelos, ut omnes modestiâ queant aedificare; quartâ Patriarchas obsecrant, pro desiderio aeternae vitae; quintâ Apostolos, pro zelo animarum; sextâ Martyres, pro gratiâ mortificationis; septimâ Confessores, pro dono orationis; octavâ Virgines, pro castitate & abstinentiâ; nonâ, omnes Sanctos venerantur, & ad patriam suspirant.

Dignatus es, ut sup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requirit Psal. 30.
Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Ibidem, mino.

*Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas. Psal. 36.
Iusti autem hereditabunt terram, & habitabunt in saeculum saeculi Ibidem, super eam.*

Custodi innocentiam, & vide equitatem, quoniam sunt reliquia homini pacifico. Ibidem.

VIGESIMÆTERTIÆ IMAGINIS
ANNOTATIO.

O quantam pacem haberes, si virtutem
N. coleres! expende sedulo.

Considera quantam fruereris pace, quantum
honorem consequereris, si virtutem coleres,
ut **A** sanctus Franciscus, aliiq; Sancti experti sunt.
nam **B** virtus semper cum **C** pace connexa est, si-
mul in eodem corde habitat: ac **D** Iesum in eo-
dem quiescere facit. Vide, precor, quantum eam
honorent omnes, dum Sanctorum **E** casas, & **F** se-
pulcra summi juxta infimiq; venerantur. quin
& Deus eam honorat, & **G** Angeli in hoc mundo;
atque hic cum Christo ob singularem virtutis prae-
rogativam suam eos familiaritate dignantur, ut pa-
tet in **H** sancta Catharina Senensi, cui Dominus
cor suum largitus est. En quam sublimem **I** Dei ma-
ter per virtutem subvecta. Contra **K** vitium ani-
mam torquet, inquietat, omnique honore spoliatur ho-
minem, etiam in summis **L** mundi vanitatibus &
deliciis.